exacti Telonei te Judicialiter compelli necnon in damnis expensis taxatis per ipsos utriusque consularibus condemnari ac id quod ex iuris ordine venerit contra te statui et decerni. Sis itaque pariturus et responsurus. Certificamus autem te etc.

Mandatum ad consules Crac. ut exequutionem Decreti Sac. R. M. finalem faciant

Stephanus etc. Spectabilibus Proconsuli et Consulibus Civitatis nostrae Crac. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Spectabiles Fid. nobis dilecti. Tulimus non ita pridem ex partium controversia Decretum nostrum inter Famatos. P. N. Actorem ex una necnon N. Conventum parte ab altera ratione violentae ademptionis per ipsos conventos loci ipsius Actoris in Depositorio Crac. vigore iuris dicti habiti et possessi damnorumque exinde secutorum, quo in negocio ex rationibus Decreto nostro adscriptis memoratum Actorem in possessionem pacificam loci dicti tanquam expulsum restitui debere cognovimus. Illudque decretum nostrum exequutionis finalis faciendae gratia ad officium Fid. vestrum remisimus. Mandamus itaque Fid. vestris, sic omnino habere volentes, ut Fid. vestrae visis literis nostris requisitae debitam ac finalem eiusdem Decreti nostri memorati omniumque et singulorum in eo contentorum clausularum exequutionem quamprimum procrastinationibus quibusvis remotis faciant, nec ulli parti inveniendis exceptionibus et tergiversationibus iniuridicis locum relinquant, quin etiam potius dent operam ut debita Decretorum nostrorum constet autoritas, ultimaque eorum celebretur exequutio. Facturae Fid. vestrae quod aequum est in exequendis Decretis nostris officiique pro sui erga nos debito et gratia nostra. Datum etc.

Mandatum ad Exactorem ut moniales iuxta suas libertates conservet, nec contribut. exigat

Generoso etc. Contributionum publicarum Terrae etc. Exactori Fideli dilecto, in absentia eius Successori vel Notario, gratiam nostram Regiam. Generose Fid. nobis dilecte. Questae sunt nobis Devotae ac Religiosae virgines ordinis Sancti Francisci Conventus N. Fid. tuam adigere illas ad solvendam contributionem publicam ex certis fundis monasterii illarum propriis, a qua anteactis temporibus fuerant semper liberae, immunitate Ecclesiastica desuper illis serviente. Supplicantes nobis ut in eadem quoque immunitate easdem conservaremus. Quare nos pro aequitate et pietate manum nostram illis porrigere volentes, Mandamus Fid. Tuae, ita omnino habere volumus, ne easdem moniales ad solvendam contributionem eiusmodi ullo modo adigat, imo quemadmodum praeteritis temporibus liberae ab illa solvenda fuerant, liberas et nunc eas esse sinat et faciat